SATURA NON SATURA COMMENT. 14. RAYMUNDI GUARINI

Raimondo Guarini





SATVRA NON SATVRA

COMMENT. XIV.

RAYMVNDI GVARINI.



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PHILOMATHICAE.

1834.

Adlatrant Canes : Luna procedit.

RAYMVNDO QVESADA

MARCH. S. SATVRNINI. EQ. A. MAGNO. CINGVLO. SS. MAVRIT. ET. LAZARI. LEG. EXTRA. ORD. ET. A. CONSIL. REGIS. SARDIN. EIVSDEMQ. APVD. SICIL. REGEM. MINISTRO. CVM. PLENARIA. POTESTATE.

Dudum amamus inter nos, Marchio Excellentissime, idque non sine animi mei insigni voluptate, cui, ut fatear, quod res est, vanitatis nonnihil, si modo citra culpam superbiae accipias. Mei autem in te amoris, observantiaeque, praeter assidua benevolentiae tuae argumenta, causae praecipuae hae sunt: pietas in Deum, urbanitas sine fuco, modestia singularis admirabili cum prudentia coniuncta, bonarum artium studium; quae omnia cum in Te qua qua versus emineant, generi tuo amplissimo plus decoris adiicere, quam recipere ex eo videntur.

Sed amoris in me tui ex adverso, si humanitatem tuam excipiam, nullam in me fere causam agnosco aliam. Unde pudor mihi iam diu iniectus, quod nulla hactenus publice per me facta sit grati in te animi ostensio qualiscunque. Ergo ad notam hanc quo quo modo detergendam, Commentariolum hocce tibi nuncupandum constitui. *Satura non satura* illi nomen. Quod *Saturam* audis, iam intelligis, quae in illo infercita, non omnia eiusdem generis esse posse. Quod additum: *non satura*, quisque videt, *modum* eius, sive *mensuram*, tangi, quae *a lance plena* longissime abest. Ecquis enim in talibus praefiniri modus queat? Sed Epistolae nuncupatoriae, nisi fallor, iam modus impletus. Vale itaque.

Neapoli IV. Id. Quinctil. MDCCCXXXIII.

RAYMVNDVS GVARINIVS.

RAYMVNDO GVARINIO

de

RAYMVNDUS QVESADA, MARCH. S. SATVRNINI

S. D.

Accepi Epistolam, Vir ornatissime, qua mihi significasti, in animo tibi esse, Commentarium tuum, cui titulus, Satura non satura; mihi nuncupare. Id vero mihi quam acceptissimum fuit; quippe cui quotidiana familiaritate perspecta doctrina tua multiplici cum eruditione conserta, cui tum dudum testimonium insigne, prae caeteris, perhibuere Regiae Academiae, Herculanensis, et Taurinensis, quae te ultro socium sibi adsciverunt. Munus idcirco amice oblatum volens, lubensque accipio, auctoremque muneris peramanter amplector. Vale.

Neap XVII K. Febr. 1834.



§. I.

Monumenta quaedam partim graeca, partim graeco-latina, recensentur.

Ad Aedes Falconerias prostat, Marchio excellentissime, marmor vetustatis indubiae, duplici insigne epigrammate, quorum latinum unum a laeva, graecum alterum a parte dexteriore, idque metrice compactum. Prius illud iam dudum habes a Gudio, Fabrettioque relatum, qui tamen de graeco ne meminere quidem, quod iure miratur Collega meus Kellarmannus, V. C. Latinum est huiusmodi:

I.
AVRELIVS
MARINVS
V. P. RAT
S. R

Id est: *Vir perfectissimus, Rationalis sacrarum remunerationum.* Verum huic longe praestat

alterum graece exaratum partis dexterioris, cui nihil cum latino commune. Ex quo apparet, hoc illi posterius adscriptum, adeoque recentius, prae eo, aestimandum. Titulus hic etsi adstricta incedat oratione, duas tamen lineas priores habet lege hac solutas.. Hiat in paucia: sed hiatus explet felicissime idem Kellermannus, cuius opera amice, sine dolo ullo, sive bono, sive malo, utendum duxi. Dictionum, versuumque in ἐκτύπῳ ad nos misso nulla distinctio. Characteres fere omnes sine discrimine aliquo incumbunt alius in alium, quasi si liberos sibi quaerant, si iocari parumper Plautine licet. Quamobrem, ne tironi in ipso vestibulo negotium fiat, et dictionem a dictione secernere placuit, et versus ad consuetum elegiacorum ordinem disposuimus, lectore praemonito, formam E in τῷ αὐτογράφῳ perpetuo lunatam occurrere, quam typorum penuria non licuit repraesentare.

ΤΩ ΒΑCΙΛΕΙ ΑCΚΛΗΠΙΩ CΩCτΡΑ ΚΑι χαΡΙCτΗ
ΡΙΑ ΝΙΚΟΜΗΔΗC CΜΥΡΝΑΙΟC ΙΑΤΡΟC.
ΟΙΟΝ ΕΜΑΙΩCΑΝΤΟ ΝΕΟΝ ΤΟΚΟΝ ΕΙΛΕΙΘΙΑΙ
ΕΚ ΦΛΕΓΥΟΥ ΚΟΥΡΗC ΦΟΙΒΩ ΑΚΕΙΡΕΚΟΜΗ:
ʽΤΟΙΟΝ ΤΟΙ, ΠΑΙΑΝ ΑCΚΛΗΠΙΕ, CΕΙΟ ΒΟΗΘΟC,
ΧΕΙΡΟC ΑΓΑΛΜʼ ΑΓΑΘΗC ΤΕΥξΕΝ ΕΑΙC ΠΡΑΠΙCΙΝ.
ΝΕΩ ΔΕΝ ΤΩΔΕ ʼΖΩΑΓΡΙΑ ΘΗΚΕΝ ʽΟΡΑCΘΑΙ
ΠΟΛΛΑΚΙC ΑΙC ΒΟΥΛΑΙC ΝΟΥCΟΝ ʼΑΛΕΥΑΜΕΝΟC
CΟC ΤΕΡΑΠΩΝ ΕΥΧΗC ʽΟΛΙΓΗΝ ΔΟCΙΝ, ΟΙΑ ΘΕΟΙCΙΝ
ʼΑΝΔΡΕC ʽΕΦΗΜΕΡΙΟΙ ΤΩΝ δε ΦΕΡΟΥCΙ ΧΑΡΙΝ.

1. Epigrammatis titulo adsonat hic e Reinesio (1):

ΑΛΚΑΙΟΣ ΑΜΦΙΤΡΥΩΝΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙ ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

2. Αγαλμ' αγαθης. Adiectivum ἀγαθης, refer ad τὸ χειρος, cuius vim κατὰ τεχνην magis hic velim, qua κατ' ἐννοιαν, de qua mox.

3. Pro voce Ζωαγρια succurrit Homericum illud Nausicaes ad Ulissem (2):

Χαιρε ξειν', ἱνα και ποτ' εων εν πατριδι γαιη
Μνήση ἐμει, ὁτι μοι πρωτα ζωαγρια ὀφελλεις.

Nunc verbum de verbo expressum sic titulum omnem latine habeas:

Regi Asclepio medica munera, et gratiar. action. Nicomedes, Smyrnaeus Medicus. Qualem eduxere foetum Obstetrices ex puellae febri aestuantis gremio, ope Phoebi intonsi; tale tibi, Phoebigena Asclepi, illius auxiliator, libens animo signum daedaleum perfecit. Sed templo in hoc restitutae salut. dona posuit conspicienda famulus tuus, ope tua et ipse mor-

(1) Pag. 113. n. LXXIIII.

(2) Od. Θ. v. 461.

bo saepe liberatus. Pro debito modica munera, qualia Diis, horum gratia, afferunt brevis vitae homines.

Restat, ut quid Latii Musae possint, si quid per nos possunt, experiamur, quo ποιημάτιον hocce romana donetur civitate.

Qualem Obstetrices foetum eduxere, iuvante
  Phoebo, cum gemeret febribus usta Parens;
Tale libens signum, Asclepi Phoebo sate, sacrat,
  Quod tibi daedaleum dextra peregit opus.
Ast ope saepe tua famulus quoque sospes et ipse,
  Munera dat, templis conspicienda tuis.
Parva quidem officio, sed magnis qualia Divis
  Perbrevis aevi homines munera ferre solent.

2.

ΘΕΩ. ΑΘΑΝΑ
ΔΥΝΑΜΙ. Σ
ΔΑΜΟΣΘΕΝΕΗΝ

Ad pectus marmoreae τῆς προτομῆς Demosthenem barbatum referentis, quae in pertica Canusina reperta, nunc penes est V. C. Iob. Camillum Rossi, Archiep. Damascenum, cui ab expositione Arcus Traianalis Beneventani nomen

inter eruditos minime vulgare. Ad opus quod attinet, illud equidem artificii pervetusti, cuius simile videre est in Iknographia Cl. Visconti (a), et in Herculanensi aeneo busto. Caeterum nihil expressius vultuosa illa graeci oratoris fronte, quae rugis insurgentibus contracta hominem exhibet cogitabundum, magnisque serio inhiantem, quo praecipue commendabatur Demosthenica Polieucti Statua, Constantinopolim post translata. Marmoris nostri peculiaria haec sunt. 1. Lingua illi modicum exerta extra dentium septum, speciem arrodentis, eamque veluti limantis. Ut nihil dubitandum, propositum in hoc artifici fuisse, Demosthenis ausum illud nobile insinuare, quo, ut linguae hebetioris vitio succurreret, hanc lapillorum, dentiumque attritu obstinato ita exacuit, ut tandem rhotacismo efferendo fieret idonea, cui natura impar erat.

2. Notum ad haec eruditis, humerum Demosthenis dextrum, prae laevo, turpiter prominentiorem extitisse, cui deformitati, carnificis verius, quam hominis invento, mederi sategit. Artisque pretium hoc in opere fuit, naturae id

(a) N. 2 et 1. Tab. XXX.

vitium ita pallii plicatura densiore minuere, ut tamen conspicuum sit paullo attentius intuenti, quod frustra requiras in τῇ προτομῃ Musei Borbonici, aliisve. Et haec satis de ὕλῃ τῆ marmoris μορφῃ.

Tituli autem, de quo nunc agendum, dialectus tota dorismum sapit. Characterum item forma plane archaica, quadrata videlicet; O in primis, et Θ, quibus formis, qui ad manum sunt, typi carent. Sigmatis species *Ve* Oscorum refert, quadrati nempe dimidium. Demum in lin. 3 postremi duo characteres H, et N in nexu cubant. His in antecessum observatis, sic legendus titulus videtur;

Θεμις Αθανα
Δυναμι σε
Δαμοσθενεην

Quod est: *Themis*, *Minerva-vi te-Demosthenem*, subaudi *urgent*, vel huiusmodi simile, quo intelligatur, Demosthenem, quamvis reluctante natura, ad summa nihilo minus provectum, instigante, immo cogente, gloriae forensis, sapientiaeque cupidine, quarum *Themis*, et *Minerva* symbola notissima. Δαμοσθενεην,

pro Δεμοσθενεα, quartus utique casus, qui tamen non ab usitato Δεμοσθενεα imparisyllabo, sed a parisyllabo Dorico Δαμοσθενης, τοῦ Δαμοσθενεου, videtur repetendus.

3.

M. COMINIO. M. F. MAE. VERECVNDO
QVINTIA. DIA. FILIO. PIISSIMO
ΕΠΙ ΥΠΑΤΩΝ Γ ΟΥΕΙΨΤΑΝΟΥ ΑΠΡ
ΩΝΙΑΝΟΥ ΚΑΙ Γ ΦΟΝΤΕΙΟΥ
ΚΑΠΙΤ

Huius etiam epigrammatis forma E lunata. Monumentum genuinis Consulum nominibus statuendis aptissimum, qui anno Aer. V. nono supra quinquagesimum processere. Erudeeratum Neapoli anno 1828 ad viam, quae *Crystallinorum* dicitur, in sepulcro perantiquo, quod a solo per palmos fere septuaginta infra latitabat cum hominis cadavere, lucernis cretaceis, aliisque quisquiliis eiusmodi stipato. Adeo descendunt montes, ascenduntque campi, quorum in abditis squalent τὰ κειμήλια pretii quantivis, lucis beneficio numquam, aut sero admodum, fruitura. Marmor ἀυτογράφου long. pal. 2. lat. 1. cum dimidio, penes est V. C. Can. de Iorio,

cui illud dono dedit vir amicus, minimeque aspernendae eruditionis, Marianus de Laurentiis. Hactenus in cortice morati: medullam nunc petamus.

Haec ipsissima illa Consulum biga, de qua diserte Tacitus (1): *C. Vipstano, Fonteio Coss. diu meditatum scelus non ultra Nero distulit.* Inauspicato igitur, pro *Vipstano*, irrepsit *Vipsanius* apud Iansonium, Petaviumque; et apud Patinam male *Apronius* pro *Aproniano*. Recte Pagio *Vipstanus*. Sed falsus in Fontei praenomine est, quem *Lucium* fecit pro *Gaio*, Marmoris huius graeco-romani aetas incidit manifeste in annum aerae nostrae quinquagesimum nonum. Non itaque verum omnino, quod Reineisius (2) contendit: *exempla* nimirum huius generis *esse opus cadentis literaturae romanae*, qualia obviant quarto potissimum, et quinto seculo, imperitiaeque id tribuendum dialecti utriusque. Verius hoc arcessas a novitatis illo minime imitandae studio, qui hominum morbus antiquissimus, et immedicabilis. Cum ecce tibi

(1) Ann. L. XIV. C. I.
(2) Pag. 697. n. 1.

inter scribendum laminae ἐκτυπον circularis, parte qua antica, qua postica, characteribus graecis, iisque elegantissimis, insignis, qui diu nostrum frustra torsere ingenium: Accipe, quae inde demum expromere liquido datum est. Ex una parte sic: *I prodigi di Famiglia Caaulio Imp. nobile Asiani.* Ex altera vero capita quinque, quorum ad occipitium nomen cuiusque prodigiorum familiae huius, quo, nescias, de caelo lapsae. 1. *Virile laureatum.* Inscriptum: ΕΥΙΔ. 2. Item *virile*. Inscript. CΥΙΚ. 3. *Femineum* velatum. Inscript. ΕΡΓΑ. 4. etiam *femineum*. *Inscript.* VΝΙΓ. 5. denique *virile*. Inscript. ΓΑΠΟ. Sed hibridorum satis. Germana haec duo Musei Spinelliani.

4.

ΟΚΤΑΟΥΙΑ. ΓΑΙΟΥ. Α
ΠΕΛΕΥΘΕΡΑ. ΟΙΚΟ
ΥΜΕΝΗ. ΠΟΥΒΛΙΩΙ
ΦΟΥΛΟΥΩΙ ΠΟΥΒ
ΛΙΟΥ. ΑΠΕΛΕΥΘΕΡ
ΩΙ. ΒΛΑΣΤΩΙ

Latine :

Octavia, *C. Liberta*, *Ikumene*, *Publio Fulvio*, *Publii Liberto* , *Blasto*.

Et *Blastum* hunc adde *Blastorum* elencho , quos ciet Marinius (1). Et si videtur tanti minuscula haec τῶν ἀρχαιολογων sedulitas, quam in rebus fidei gravissimis fastidiunt homines liberiores , adde Blastum hunc marmoris Capuani, de quo ignoro, utrum editum :

5.

M. AELIO. M. L. BLASTO
AVGVSTALI. CAPVAE
ET. LIBERTIS. LIBERTABVS
POSTERISQVE. EORVM
HVIC. MONVMENTO. CEDVNT
EX. AGRO. QVO. QVO. VERSV
PEDES QVINQVAGENI

6.

CTAAKKIA
CTOρΓH

Idest : *Stlaccia Storge*. Ecce graeci alterius tituli fragmentum Puteolis recens effossi mense

(1) F. A. pag. 717 not. 80.

Iunio anni 1833. qui nobis communicatus a V. C. et Collega amicissimo, Iosepho Castaldio:

7.

. . . . . .
ΠΕΙΩ ΖΗϹΑΝ
ΤΙ. ΕΤΗ. Ι.
ΝΕΠΟΤΙΑ
ΑΑ ΖΗϹΑϹΗ
ΕΤΗ. Ε. ΜΗΝΑϹ
Ε

Forma E lunata. ΠΕΙΩ. Fortasse reddendum: *Pompeio, qui vixit annos novem. Nepotillae, quae vixit annos quinque, menses quinque.*

Placet, primam hanc excursionem illius nomine consignare, cuius omine deductum initium est: Kellermanni, inquam, nostri, qui et monumento nos hoc altero locupletavit, Romae nuper detecto prope *Montem Testaceum*, et ab se ἀκριβῶς, ut solet, excepto, restitutoque:

8.

Imp. cAESAR. M
*Aure*LIVS. ANTONINVS
Aug. PONTIFEX. MAX
*t*RIBVNIC. POTEST. XV
COS III. ET
IMP. CAESAR. L. AVRELIVS
VERVS. AVG. TRIBVNIC
POTEST COS II TERMIN
*os ve*TVSTATE *c*OLLAP*sos*
*ex*ALTAVERVNT ET RESTITV*e*R
*r.r.*PROXIMO.TERMINO.*ped pro*
*p*OSITOS. EX. AVCTORI*tate*
Imp. CAESARIS NERVAE. *tra*IANI
AVG. *cu*RANTE A. *plae*TORIO
NEPOTE CA*lp*VRNIANO
CVRATORE ALVEI TIBERIS ET
RIPARVM ET CLOACARVM
VRBIS

Qui titulus idem videtur cum eo, quem Romae in Clausura Iudaeorum inventum refert Fabrettius (1) an. 1631 : sed duplicatus tamen, idcirco quod eiusdem exemplar diversis in locis

(1) Pag. 748. n. 555.

fuerat proponendum, ut in talibus fieri consuetum. Est aliquid interim, quo a Fabrettino nostrum hoc exemplar in diversum abit. In illo siquidem, nisi exscriptoris id vitio contigit, quod probabilissimum arbitror, Antonini potestas tribunicia XI. cum Consulatu III eietur: in nostro autem eum eodem Consulatu III designatur Potestas tribunicia XV; quam in An. V. C. 914. incidere, extra controversiam est. E Fabrettino contra exemplari opportune a Kellermanno allatae sunt suppetiae lacunis τοῦ κειμηλίου recens detecti.

De fini marmori utrique proposito pauca notari merentur. 1. Jussu duorum Augustorum, cura data A. Plaetorio Nepoti Calpurniano, uti terminos vetustate collapsos restitueret, exaltaretque, idest erectiores ex humilioribus faceret. 2. Hi termini constituti ante fuerant auctoritate Nervae Traiani, sed post iniuria temporis collapsi. 3. Procedebant autem *recta regione* (ea vis initialium R. R.) *proximo termino* PED. 4. Tò PED. supplevimus ipsi ex Fabrettio, quod sine ulla nota numerica pro *pedario* accipio, minime pro *pede*, quod notum mensurae genus.

De *ligno pedario* plura per nos alibi (1) 5. *Terminus pedarius* forte idem cum *termino robusto*, de quo haec insinuasse satis sit ex *Leg. de Agris limitand.*

CETEROS. TERMINOS. QVI. IN. OPVS. ERVNT. ROBVSTOS. STATVITO (2).

§. II.

Quaedam partim nova afferuntur, partim tractata alibi retractantur cum Reinesianis castigationibus nonnullis.

Saturam non saturam professis nihil omittendum, quod aut ciere salivam queat, aut paginam utcumque implere. Cum ecce ex auspicato de penu Aeclanensi novum aeneum sigillum, planeque singulare, cum manubrio anulari. Latitabat illud in lateritio domini sui sepulcro, cuius Manes nuper homines nostri, more suo, violarunt. Sic autem habet :

(1) Illustr. Apolog. Marm. Puteol.
(2) Goesius pag. 259

1.



Characteres, ut fere in talibus, inversi. Legesis: *Albani Ducenarii Aur. Arg. Aer. sign. Arkarii.* Initialem S reddidi *signati*, quod metallum *rude* Arkis inferri, nemini in mentem veniat. *Tributa* a provincialibus, *debita* a civibus exigebant (1) *Ducenarii*, Primicerioque Ducenariorum dicto parebant. Dicti *Ducenarii* a ducenis sestertiis in salarium ipsis constitutis, ut Reinesius ait (2). Extat apud Gruterum (3) et hoc, quod cum nostro facere videtur.

L. RVBRI. C. C
SATVRIONI

Initiales C. C. sunt etiam Scaligero *Curat. Civium*, quae utrum faciant ad rem nostram, viderint alii.

Nil fere est, quod extundas ex fragmento

---

(1) L. 2. Cap. *de Exact. Trib.*
(2) Pag. 225.
(3) Pag. 7109. n. 4

hoc item Aeclanensi ederato ad mensem Decemb. anni 1832, et ad Romualdum Cassittum transmisso:

2.

. . . . . .
. . . .
. . . AQVARIA
ctation.RVPTVM.SVA
su.C.*Beti*TI.PATR.COL
*Pri*MVS.GRAT
*Ter*TIVS

De Opere publico res esse videtur, quod aquarum iactationibus collapsum restituit, nescio quis, fortasse *suasu Patroni Coloniae Betitii*, ut suadere videntur literae superstites... TI, quae ad nomen *Patroni*, cui praeeunt, videntur referendae. Coniecturae occasionem, praesidiumque praebet titulus alius honorarius, item aeclanensis, positus *C. Neratio Proculo Maximiliano Betitio Pio Pat. Col.*, de quo multa alibi (1). Anne in vers. 4. et 5. latent nomina *Primi*, *Grati*, *Tertii*, Servorum, aut Libertorum, qui *Opus* instauraverunt? Divi-

(1) *Ricerch.* A. C. d'Eclano pag. 106. n. XI.

nare possumus, affirmare non possumus. Facile de *Ponte* aliquo res fuit.

Nec magis prospere actum cum epigrammate hoc, cuius τὸ αὐτόγραφον extat Potentiae Lucanorum, long. palm. uuum cum dimidio, lat. palmos fere tres;

3.

N. VIBIO. NOVF. POM
FLACCO
COSSVTIAE. P. F.

Sic namque ad nos perlatum. Sic recudendum puto;

M. Vibio. M. F. Pom
Flacco
Cossutia. P. F

Et Cossutiam, P. Filiam, eamdem arbitror Manii Vibii Flacci, Trib. Pom. extitisse uxorem. Alio nunc me levis aura rapit.

4.

P. SALLVSTIO
NYCHIO
NOMIVS
L F P S V (1).

---

(1) Pag. 719. n. 403.

Refert Fabrettius. De initialibus versus ultimi silet. Sic exponerem: *Lugens* (vel *libens*) *fecit pro sua voluntate*. Mea nunc vineta caedam, aliena putare contentus.

Deleo quae ad Com. XV. (1) commentus sum de siglis C. I. O. N; quas nullas extare, didici demum ex Cl. Marinio (2), qui sine ulla interpunctione legit in τῷ αὐτογράφῳ: CION. Quid hoc emolumenti? Aio, quadratario, pro CONI; idest *Coniugi*, excidisse male feriatum illud CION, quo in exponendo oleum, operamque cum Scaligero perdidi.

Ad Com. nostrum XVI. (3) nuper adiectae curae posteriores pro Marmore quodam Nolano, de quo actum in Parnasso Lapidario olim fuerat, redintegrando. Fatendum nunc, nec curas hasce posteriores rem acu tetigisse, idque vitio prioris exemplaris nobis a C. V. Gervasio traditi; qui nunc demum, occasione oblata, admonet, titulum a se inspectum, exceptumque sic legendum:

---

(1) Pag. 48.
(2) F. A. p. 345. not. 73.
(3) Pag. 79.

M. STAtilio. M. F
PAL. PrisCO
FISIO. SereNO
RVTILIO. CAESIANO
IIVIRO. AVGVRI etc.

Non itaque de viris tribus in titulo agitur, sed de uno dumtaxat, eoque nominibus septem insignito, cui, uti ex subiecto carmine, *pater*, et *frater* monumentum ponunt.

Ad haec: In Com. eodem (1) egi de Gruteriano titulo, cui initium: AVRELIVS. ENDOTVS. Moram fecit linea tertia: TEX. >. Trepidanti in mentem venit *Textoriae*. Offendi nunc in titulum eumdem a Reinesio more suo habitum (2). Primum is pro *Endotus* refingit *Enodotus*, unde ipsi exit *Menodotus*. Detur hoc Reinesio Bartholum cienti, quem autumat, titulum *ad marmor descripsisse*. At quo iure vocem TEX. scindit in duo, ut sit: T. EX. id est, *Tribunus ex Centurione*, ut illi placet? nulla mihi σχισματος huius ratio cogens adparet, et την περιοχην omnem de *Textore Cen-*

(1) Pag. 54
(2) Pag. 514. n. XII.

tonario intelligo. Nec minus cerebrose *Eliam Aquiliam* versus quarti vertit in *Aureliam Aquilinam*. Quae corrigendi libido si semel increbescat, nihil deinde sanctum in antiquitate, quod violare, nefas sit. Redeo ad mea tantisper, Reinesianas rationes mox resumpturus.

Insignis nuper Aeclani defossus sarcophagus lapideus cum operculo ad formam prismatis, long. palm. 8. lat. 2. Ad operculi labrum haec:

5.

D *M.*

CN.POMPONIVS.DEMETRIVS.VIBO.SIBI.FE

Legi ipse, et descripsi. Est autem: *Cn. Pomponius Demetrius vivo sibi fecit.* Ad se nunc Reinesius revocat, qui alterum hoc epigramma frustra sollicitat:

6.

MERCVR. AVG
SENNEIVS. MARTIVS
ET. MEFFIVS. MARTINI
ANI. AVGVRES. EXST (1).

Reinesio nostro male primum olet *Senneius*, inque *Anneium* transire iubet. Nempe Reinesio

(1) Pag. 116. n. LXXVI.

nigro theta signanda nomina illa universa, et singula, quibus nota hactenus veterum monumenta minime suffragantur. Valeat ergo novorum nominum catalogus Gruterianis a Fabrettio additus! Valeant, quae post Fabrettium nova protulit aetas, inque dies erit prolatura! Audet idem in *Messii* nomine, quem in *Mettium* vertit. Ternos interim Augures, a *Martino* sic denominatos *Martinianos*, satis adparet: quamvis de *Martino* hoc, quis fuerit, vel qualis, nondum liqueat. Non video tamen, cur e *Martinianis Martianos* fecerit Reinesius. Proclive est, conjicere, a *Marte* ut *Martiales*, sic *Martinos*, et *Martinianos* fluxisse.

Denique τὸ EXST. interpretatur: *Ex Senatus consulto*, vel *statuto*. Fortasse verius: EXS. T; idest: *ex Testamento*.

Nec magis aequum se praebet Vir summus in alterum hoc Epigramma (1):

(1) Pag. 539. n. LXIV.

7.

DIS. MANIBVS. SACR
M. ALINIVS. M. F. VEL
SABINVS. EQ. R
SPECVLATOR ET PRAEF
TVRMAE SPECVLATOR
AVSILIAR. LEG. III SCYTH. FECIT
ET. SIBI. ET. SVIS. HERED. ET. LIBERIS
EOR. ET ALINIAE SABINAE MATRI
VIRILISSIMAE PII ET ALINIAE
CONIVGI. CASTISSIMAE. B. D. S. M. P
CVRAVIT

Et semel, et iterum, atque iterum, in Marmore est *Alinia* gens. Cur in *Auliniam* recudit Reinesius, immemor ipse sui, qui gentem *Aliniam* alibi quoque memorat (a)? Hoc amplius, lepide prorsus! Τὸ *virissilissimae* ἐπίθετον *Aliniae Matri* adtributum, frigidissime recudit in *Nutrici*. Atqui ut *Alinia coniux* apposite dicta *castissima*, ita *Aliniae Matri* Filii, cui cognomen *Pius*, summa ratione inditum *virilissimae* τὸ ἐπίθετον, idest ultra sexum generosae. Et nisi humani quid nunc patior, memini

(a) Pag. 718 n. LXIV.

apud Gruterum legisse: *Coniugi coniugali.* Nec porro mihi haec disserenti animus est, quae huiusmodi in veterum monumentis incurrunt, ea semper, et in singulis probare, et veluti exemplaria imitabilia, sine ullo discrimine, constituere. Illud unum propositum est inculcare, ut ne quando tirones ob leviuscula generis huius vel de marmorum fide dubitent, aut, quod multo minus tolerabile est, violentas in ea manus iniiciant, quod Reinesii malum Fabrettius aversatus interdum cucurrit in contrarium.

De nova voce *Tatantis*, eaque indubia, actum in Comm. XV. Novum eidem fulcimentum mihi videor posse praestare ex hoc Reinesii titulo (1):

8.

TARVLLO. TATENTI
NATIONE. SARDO
M. C. E. PRIMIS
HEREDES. B. M. F

Quid illud *Tatenti*, sive hoc cognomen velis *Tarulli*, sive potius *officii* nomen, quo ille erga *heredes* suos functus est? Nonne rectius,

---

(1) Pag. 526. n. XL.

Tatanti? Verum et id cunctanter, ne eorumdem iure coarguar, de quibus alios libere reprehendo. Siglas versus tertii reddit Reinesius: *Miles Cohortis Centuria Primi.* Hoc ego amplius. Literam S puncto seiunxerim a voce PRIMIS, legeremque: PRIMI. S; idest: *Sepulcrum* cum his, quae sequuntur.

§. III.

Miscellanea nonnulla ex amicorum penu sine foenere mutuata.

Nec citra, nec praeter; omnino contra expectationem omnem accidit, Marchio excellentissime, ut me, pro iusto implendo Commentario, rerum deficeret copia, qua abundare antea solebam. Neque ego in hoc causabor amicos, qui multa verbis polliciti, nihil re praestitere, non voluntatis, sed fortunae vitio, qua nihil eis oblatum, quod ad me, uti mos est illorum, mitterent. Si qua igitur in toto hoc negotio culpa est, ea mei unius culpa fuit; si tamen culpa dicenda sit eius, cui Fratre unico superstite, recens amisso, non agendi, dicam, sed ne co-

gitandi quidem de aliis tempus reliquum fuit. Tali enim fratre orbatus, cuius etsi summa in re medica laus, haec fortassis caeteras inter alias minima, tot sum praeterea domesticis curis, fluctibusque oppressus, ut paene vivendi sit pertaesum. Sed interim mea tecum fides quoquo modo liberanda erat. Quid facerem? In amicorum irrepsi domos; et quidquid venit ad manus, quasi fame stimulante, avidissime arripui. Neque tu idcirco rapinae me, furtive reum agas. Nam praeterquam quod pro his satis praesidii in necessitate sit, nihil ego, dominis invitis, carpere sum ausus. Quamquam quid *invitos* dicam, qui me, nomine tuo in primis audito, in cuius gratiam hic omnis susceptus labor est, ut suas ipsorum gazas expilarem, non tantum concesserunt, sed fere compulerunt? Agmen ducant epigrammata graeca duo de Spinellii Museo, quocum iam dudum tibi familiaritas intercedit.

1.

DIS. MANIB
POMPONIA. EVTY
CHIA. L. ANTISTIO. CE
LERI. F. SVO. VIX. AN. XIIII

2.

CN. EGNATIVS
Ↄ. L. TVRANNVS

3.

D. M
AVFIDIAE. CAM
ICE. VIXIT. ANNIS
LX. M. III. DIEBVS. V
FILIA. MATRI. PIEN
TISSIMAE. B. M. F

4.

D. M
AQVILA. CAE
SARIS. VERN
A. VIX. ANNIS
III. RVFVS
FILIO. FECIT

5.

D. M
ANTONIO. BEL
LICO. PONTIA
EVTYCHIA. CON
IVGI. B. M. F

6.

FOLIA. M. L. HILA

7.

C. VOLVSIVS. Ͻ. L
CASSANDER

8.

M. VINICIVS. M. L
GAHA
M. VINICIVS. M. L
KAIETANVS. VIX. AN. XV
M. VINICIVS. M. L. FELIX

9.

SVLLA. DO
NAVIT. II
DIONYSIO

Quid Sulla Dionysio donaverit, frustra a marmore expectes. Fere enim in talibus silentio praetereuntur, quae oculis erant subiecta fidelibus. De loco tamen sepulcri agi, opinor.

10.

DIIS. MANIB.
CN. POMPEIO. VERANIAN
ET. POMPEIAE. MAXIMAE
ET. IVLIO. DIADVMENO
ET. DVRONIAE. CALLITYCHE
CN. POMPEIVS. MAXIMVS
FECIT

11.

C. MESSIVS. C. LIBERTVS
PRIMIGENIVS. SIBI
ET. MESSIS. PRIMIGENIO. ET
HILARAE. FILIIS. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. EORVM

12.

D. M
LVCIO. VICTORI
QVI. VIXIT. ANNIS. XLV
MES. II. DIE. XI. HOR. V
sic
AVRELIA. SECVNDILA
COIVGI. INCOMPARAVI
LI. BENE. MER. FECIT

13.

SEPTIMIAE. VR
SILLAE. QVAE. VI
XIT. ANN. XXIIII
M. I. D. XVIII
AVRELIVS. MARCVS
MARITVS. FECIT
CONIVGI. RARISSI
ME

Saepius adnotavi, praenomini *Marcus* interdum *cognominis* potestatem inhaerere, ea ratione permotus, quod *nomini* haud raro postponitur in marmoribus, etsi de hoc minime sollicitos Romani Scriptores se praebuerint. Caeterum quis in se recipiat, marmorum auctores in hoc nominum ordine perpetuo sibi abs Scriptorum libertate cavisse?

14.

L. CORNELIVS
ASCLA
VALERIAE. ISIDORÆ
MATRI. PIAE

15.

D. M
C. IVLIO
HERMETI
B. M

C. Iulius Hermes occurrit et in Gruteriano thesauro (a) *Conductor Horreorum Seianorum Lustri tertii*. Videas et *C. Iulium Hermetem Mensorem* (b) Vespasiani tempestate, qui alius ab his videtur.

16.

. . . . M
. . STEPHANVS
et MINDIA DROSIS
CL. HERACLIAE. FIL
RARISSIMAE
VIXIT. AN. XVII
MEN. V. DIEB. XXIII
B. M. F

Sequens fragmentum insigne russatis characteribus:

(a) Pag. 194 n. 9.
(b) Pag. 243 n. 1.

17.

. . . . . .

. . . . . .

. . IS. VIXE. .

SIBI. ET. PATRI. SVO

. . . ROETOINADIMATRI

. . . CONTVBERNALI. SV

. . . ƆIVS. SP. F. SVCCESSVS

. . . . NIS. VIIII

. . . . ET. SVIS

ET. OINADI. MATRI. Nomen *Oinadi* idem fortasse cum τῇ οἰνανθῃ, quae graecis est *vitis efflorescens*.

18.

M. CAE. SI. VS. AV. GV

sic

STA. LES. QVI. BIXIT

. . . ME.SI.BVS. VIII. IV.LI

A. CAL.LEIA. MA.TER

FI.LI.O. BE.NE.ME.REN

TI

Ad basim corolla media ramos inter duos decisos. Symbolum hoc aptissimum infantis *M. Caesii Augustalis* morte praerepti aetatis suae anno primo, et mensibus duobus. Non enim lacuna lineae tertiae anno plus uno admittit, quod notari potuit sic: A.I; aut ἁπλῶς *ANNVM.*

His Musei Spinelliani titulis addo sequentes V. C. Canonici de Iorio, Collegae mei, quod privatorum omnes finibus continentur.

19.

HELIX
AN
XXX
VIII

In Cippo Cumano. Eiusdem originis et hi duo:

20.

L. LAETORIO. *P. F.*
IANTO. F*ilius*
PATRI. B. M.

21.

D. M
LAETORIAE. MAXI
ME. ALVMNE. Q. V
A. XVIII. M. III. D. VII
FECERVNT. LAETO
RIA. ADF... S. ET. EG
NATIVS. MALCHIO
r B r M r F

Lineam quartam cum sequentibus sic legerim: *Laetoria Adfinis, et Egnatius Malchio bene merenti Filiae. Adfinis* autem cognomen videtur *Laetoriae* nutricis, ut *Maxima* cognomen *Laetoriae alumnae*. Alumnos vero dici *filios* abs nutritoribus suis, nihil mirum prae se fert. Caeterum si hoc minime placeat, pro *Filia* habeto *Feminam*.

22.

D. M
M. VLPI
TELEPHI
CLAVDIA
FELICISSIMA
COIVGI. B. M

23.

VITOR
C. RAVIVS. MENANDER. VIBBIA.
CALLITVCHE

24.

☧
VICTORIAE
BENEMERE
NTIINPACE

In Lapide Puteolano nigri coloris, formaeque circularis.

§. IV.

Classiaria, Militaria, aut alio nomine insignia, ex iisdem fontibus derivata.

I.

D. M
C. VALERIO.
BASSO. MIL. CL.
PR. RAVENN.
STIP. XV. IIIVIRI.
N. SAR. V. AN. XL.
SIC
BASILIVS. CERM
AN. IIITRIVMP.
HER. ITEM. SVBHE
C. IVL. CONSTANS. IIIVIRT. BENE
MER. POSVERVNT.

Cuius τὸ ἔκτυπον nobis a Cl. de Iorio communicatum. Monumentum utique Classis Ravennatium illustre, unde *Trierum trium* nomina discimus. Primae nomen *Viri* in qua militavit annos XV. C. Valerius Bassus, natione Sarmata, defunctus annorum XL. Alteri nomen *Triumphus*, in qua stipendia fecit Basilius Germanus, C. Valerii *Heres*. Tertia demum nomen *Virtus*, in qua meruit C. Iulius Constans SVBHE. Ad Comm. VIII. (a) vocem SVB-E reddidi *Here-*

(a) Pag. 195 n. 5.

dem substitutum; nec rei poenitet: verbo paullo pressius insistendum, quod Lexico civitate donatum meretur inferri. Lineola itaque media inter B, et E est sine haesitatione H; indeque legendum continenter SVBHE, ut insinuat manifeste hoc alterum Marmor, ex quo prodit nova vox hactenus inobservata *Subheres*. Quae cum ita sint, vox decurtata PROC. Commentarii illius reddenda erit: *Procuraverunt*. Spinellianos post haec Lares fidenter reviso.

2.

D. M
L. FLAVIO. VALENTI
MIL. CL. PR. MISENENS
III. NILO. C. LONGINVS.
CAPITO. VET. HER. B. M. F

An hic *Lucius* ille *Flavius Valens*, qui apud Gruterum (a) *ob honorem Flaminii* (sic enim corrigendum τὸ *Flamonii*, quod nescio, cuius vitio irrepsit) *bono publico dedit*, nescio quid? Ad rem nostram quod attinet, vide alterum *Trieris* nomen, quae dicta *Nilus*.

(a) Xiphilin. Lib LV.

3.

DIS. MANIB.
CRAVONIVS. CE
LER. QVI. ET. BATO. SCE
NOBARBI. NATIONE. M.,
MANIPL. EX. III. ISID. *mil.*
ANN. XI. VIXIT. *an....*
L. AELIVS. *Manipl. ex.* III
VENER*e. H. B. M. F.*

Gens *Cravonia* mihi hactenus inaudita. *Cravonio Celeri* agnomen additum *Bato Scenobarbi*, natione fortasse *Moeso*. Manipularis fuit ex *Triere Iside*. Trierem aliam innuere videtur vox dimidiata VENER., in qua militasse videtur L. Aelius, Cravonii Heres. Dio (a) *Batonis* cuiusdam meminit, *qui Delmatis defectionis auctor fuerat, et Romanis magna attulerat damna*. Batonis alterius Gladiatoris meminit idem, quem Antoninus Caracalla eodem die coegit cum tribus continenter pugnare, occisumque magnifica exornavit sepultura.

(a) Xiphilin. Lib. LV.

4.

D. M
C. EPIDIVS. FIRMVS
EX. III. HERCVLI. NA*t*.
BESSVS. VIXIT. ANNIS..
XXX. MILITA. ANNIS..
XI. COMINIVS.....
PAT. B. M

5.

D
M. CALPVR. . . . .
MO. VETR. . . . .
CLAS. PR. V. . . .
AN. XXV. . . .
CALPV. . . . .
PATR. . . . .

6.

. . . . . . VIC*tori*
*Veter*ANO. EX
Cl. Pr. MISEN. MILIT
an.. III. VIXIT. AN... IX
. . IRNIA. ELPIS
*Pat*RONO. B. M

6.

D. M
VALERIAE. CASTAE. OPTIMae
FEMINAE. CVM. QVA. VIXI. AN
XXII. SINE. VLLO. STOMACHO
D. IVLIVS. DOLES. CONIVNX. EX
ARMICVSTODE. VETERAN
B. M. F

De *armorum Custode* consule Gruterum (a). Notanda nova formula *sine ullo stomacho*, idest sine *molestia ulla*, *fastidiove*.

7.

. . . . . *Valerio*
. . . . . . *VIX.*
ANNIS. XXXXVIII
MILIT. AN. XXVIIII
Q. VALERIVS. ASCLEPIADES
FRATRI. B. M. FECIT.

(a) Pag. 546. n. 9

8.

D. M
LVSCI. AVGVSTALIS
SVTORIVS. TYCHVS. B. M. FECIT

Augustalis. Dignitas-ne, an cognomen? Nihil habeo certi. Indubium tamen est, in multis voci huic *cognominis* potestatem esse.

9.

D. M
AELI. IANVARI
SECVNDVS. AVG
LIB. TABVLAR
LIBERTO. B. M

Aelius Secundus, licet Augusti Libertus, et Tabularius, uno servitutis nomine notatur. Titulus ab hoc positus colliberto Aelio Ianuario. An Aelius iste Ianuarius idem ille, qui apud Gruterum (a) Augusti item Libertus salutatur? Sic omnino puto.

(a) Pag. 604. n. 5.

10.

D. M. S
C. IVLIO. PANISCO
PITVLO. SEPTES. *ex*
ODIALI. IIIIM. . .

. . . .

Adeo quae fini proxima, ea fere asperiora! Titulus, etsi mutilus, novi aliquid olere videtur. De *Pitulo* nihil commemoraut Lexici latini. Unus Pitiscus haec habet: *sputum, seu spuma maris, quae ex vehementi remorum percussione oritur. Translate ponitur pro ipso sono, quem ista facit percussio.* Graece tamen πιτυλος Hesychio, et Polluci est *crebra agitatio, et motus, qualis complosio, vel micatio manuum*, quod propius ad rem nostram facere videtur. Anne *Paniscus* ideo *Pitulus* dictus, quod publicis in spectaculis *manuum complosione* ita caeteris praeiret *plaudendo*, ut in devotionibus verbo praeibat *Pontifex*, in Symposiis gustando *Praegustator*, in saliendo *Praesul*, ne singula commemorem? Num *Plausor* hic idem ille, de quo Horatius (a):

(a) Art. Poet. v. 154.

Si plausoris eges aulaea manentis, et usque Sessuri, donec CANTOR, *vos plaudite, dicat?*

Sed de hoc *Plausoris* officio, subiectaque per nos nomini huic potestate, dubitare ulterius vetat hoc Petronii:

Neve Plausor in scena
Sedeat redemptus histrioniae addictus (a).

Plausor itaque, si Petronium audimos, *in scena sedebat*, et *redimebatur*, idest certo pretio coodocebatur ad histrionum quaestom promovendum. *Plausori* igitur nil commune cum *Spectatore*, qui nec *in Scena sedebat*, nec ab histrionibus *redimebatur*. Adde, quod *Plausores* Corrippus II. docet io varios consuevisse choros distribui. Ex quo patet luculentissime, *Plausores* a *Spectatoribus* re, et nomine toto caelo differre. Perperam idcirco Boschio *Plausor* iste Petronianus fit *Spectator*, hoc est de *scena* ad *subsellia* traducitur. Quo opinioois commento imbutus Arbitri locum sincerom, nitidissimumque, restitutionis specie, foede corrumpit, audacissimaque verborum cum distortio-

(a) Satyric. Cap. V.

ne, tum transpositione, in tales coniicit ambages, quibus extricandis vix Oedipus viam inveniat. Sic enim illo restituit:

Nec praediis abductus obruat vino
Mentis calorem, neve Plausor in scenam
Sedeat redemtis histrionicam addictus.

Quanto rectius sic, ut vulgatae habent editiones!

Nec perditis addictus obruat vino
Mentis calorem neve Plausor in scena
Sedeat redemptus histrioniae addictus.

Propositum quippe Arbitro fuerat, inter caetera studiorum avocamenta, recensere et *perditorum* hominum familiaritatem, quibuscum compotando *mentem obruat*, et *rei theatralis* curas cum partium studiis. Quae duo, ut proposito sibi a poeta fini aptissima sunt, sic luculenter adeo narrata, ut, qui in iis pervidendis caligat, hic nil praeterea videre possit.

Atqui haec si ita sint, iam *Pitulus*, qui latine *Plausor*, minime posthac γενικὸν τὸ ὄνομα habendum, sed muneris, seu *officii*, rei theatralis peculiare;quod nihil a caeteris abhorret, quae de eodem *Panisco* mox attingentur.

Sub voce SEPTE oppidum latere suspicor,

in quo Paniscus suo defunctus officio est. An *Septempedanum* in Piceno, ad Potentiam fluvium, de quo Plinius (a): *eius populi Septempedani?* De restitutione vocis *Exodiali* ad lineas 3. et 4. nil, velim, dubites. Nam in fine lineae 3. conspicua sunt vestigia characterum X, et E, quae non licuit typis exhibere. Quid nunc *Exodialis* IIIM? Fortasse *Exodialis quatuor Mimariarum*, puta Societatum. De *Exodiis* interim non pigeat haec a Diomede (b) audire:

Exodia. Ridicula intexta versibus, Atellanorum propria. Ut enim Satyrae graecis tragoediis interponebantur; ita tragoediis latini ad exhilarandum spectatorem Atellanarum EXODIA *interserebantur... Nec Histrionibus earum actus committebatur, sed honestis iuvenibus. Quamquam forte aliquando a Mimis aliis, et Histrionibus Fabulae illae actae sunt. Harum Fabularum Actores* VRBICI *dicti.* Ex quibus duo ad rem colligere datur. 1. Histrionum Ordinem, ut de Mimis taceam, non eam

(a) Lib. III Cap. 13
(b) Lib. III

prae se tulisse honestatis opinionem, qualem eidem attribuere nonnulli conantur. 2. *Urbici* nomini interdum assertam *Actoris fabularum* potestatem, quod in re veterum lapidaria usui aliquando esse queat.

§. V.

Kalendarii Augustaei insigne fragmentum Cumanum.

Kalendarii huius marmoreum τὸ αὐτόγραφον penes est V. C. Can. de Iorio, quod ipsi descripsimus, et ex parte restituendum curavimus. Kalendarium non sine causa diximus, quod res gestae in eo, non historico, sed menstruo ordine, procedunt. Ita, ut uno contenti exemplo simus, prior Octavii Consulatus ante diem ipsius natalem celebratur, quod secus fieri oportuerat, si historico incessu res ordinari, foret institutum. Cumis illud reperiri contigit: nec dubitandum videtur, quin peculiare Cumanorum fuerit, quo suam in Augustum observantiam, religionemque profiterentur. Fragmentum superne in primis, dein hinc inde mutilatum, a parte

laeva praesertim, ex quo certa linearum spatia, quibus continebatur, definiri nequeunt; ut ne quis cavilletur de hiatuum supplementis, quae fidei historicae, quoad licuit, proxime accedentia procuravimus. Non hic calamitatis terminus. Kalendariorum initium a mense Ianuario, ut cuique notum, duci, mos est. Cumanum autem fragmentum diem Augusti vix decimam octavam ciet. Quidquid igitur a mensis huius die decima octava ad Ianuarium usque retro excurrit, idest solidos fere trientes duo, temporis iniuria, frustra desideres. Nec enim verendum, ut pro rerum Augustearum copia, sua cuique mensi seges defuerit ad integrum, numerisque omnibus Kalendarium absolvendum. Profecto quae supersunt, nulla mensium interruptione laborare videntur. Et marmor, opinor, sinixtrorsum magis, quam superne, mutilatum, tripartitum olim in columnas quadrimestres, quarum vix tertia fatum suum evasit. Nunc ecce illud tibi, qualecunque tandem, suis cum restitutionibus:

XIX. K. *Sept. quo. die. prim*VM. CONSVL*Atum iniit*

. . . . . . *quo. die. Exerci*TVS LEPIDI. TRADIDIT. SE. CAESARI SVPP*licatio*. .

IX. K. *Oct. quo. die. n*ATALIS CAESARIS. IMMOLATIO. CAESARI. HOSTIA. SVPPLICATIO

. . . . . . *quo. die. Cl. Dr*VSI. CAESARIS. NATALIS. SVPPLICATIO. VESTAE

. . . . *quo. d*IE. CAESAR TOGAM VIRILEM SVMPSIT SVPPLICATIO. SPEEEI. IVV

XVI. K. *Dec. quo. die. natal*ISTI CAESARIS. SVPPLICATIO. VESTAE

. . . . *quo. die. aedes*. FORTVNAE. REDVCIS. DEDICATASTO QVAE. CAESARI

Aegypt. proficiscenti. nuncupata. SVPPLICATIO FORTVNAE REDVCI

. . . . *Pontif et Trib. potest. cum.* PRIMVM EAS CES. SVMPSIT. SVPPLICATIO. IOVI

. . . . . . *cum. a. S. P. Q. R. Augustus.* APPELLATVS. EST. SVPPLICATIO. *Augusto*

. . . *cum. primum. Imperator. appellatus.* EST. SVPPLICATIO. IMPE*ratori*

M
XIA

Aetatem Augustaeam singula referunt, praecipue vero characterum forma, sculptura profundiore notabilis. Rem nunc omnem altius repetamus.

Divini Iulio Patri abs adulatorum peste attributi honores mortis ei causa fuere, uti ex Dione Xiphilinus (a). *Coeperunt enim isti mensem, in quo natus erat, Iulium appellare, deinde Caesarem ipsum, Deumque praeterea Iovem, coram nominare. Postea Templum ei facere, eique Templo Sacerdotem Antonium, ut Dialem quemdam, praeesse voluerunt.* At Iulio Caesare, ut in caeteris, ita et in hoc, longe fortunatior Octavius, qui de Triumviro pessimo Imperator optimus, imperium flagitio quaesitum bonis artibus administravit. Ex quo factum, ut brevi orbi romano universo, iam dudum discordiarum civilium fesso, carus adeo, acceptusque evaserit, ut nihil eorum, quae ipsam quoquo modo attinerent, sanctius usquam, Municipibus praesertim, Coloniisque, audiretur. Quid Augusto adhuc viventi Pompeiani, qua Coloni, qua Municipes, praestiterint, duplici

(a) Lib XLIV.

alibi Commentario nostro prolixe prosequuti sumus. Quid nunc in eadem studiorum contentione fecerint proximi Pompeis Cumani, fragmentum hoc nostrum abunde testatur, cuius versiculos singulos ad sobrietatis amussim seorsum exponendos adgredimur. Quibus Consulibus haec acta fuerint, quis adfirmate dixerit? Et tamen haec omnia Actiacam victoriam fuisse recens consecuta, qua rerum omnium summa, discusso omni abs Antonio metu, Caesari obtigit sine rivali, ratum fere, indubiumque videri queat.

I. De versiculi primi recta redintegratione nihil dubito. Manifestus quippe est de primo Octavii Consulatu, in quem, non iure, sed armorum metu, irruit, ambigente Senatu, cum minor esset annorum viginti. Facti nihilominus, saltem in speciem, post videri voluit poenituisse, cum *C. adolescente Consulatum petente, gravi dolore affectus precatus est, ne umquam inciderent huiusmodi tempora, in quae olim ipse inciderat, ut minor viginti annis Consul fieret* (a). Ita nempe comparati natura sumus,

(a) Xiphil. loc. sup. cit.

ut quo vitiorum nos exortes probemus, haec in temporum necessitatem reiiciamus, praeclusis aliis purgationum viis! Haec, Octavi, ut ita sint, cur mensem Sextilem, etsi mense Septembri natus eras, Augustum cognominasti, quod tum primum Consul factus esses, quodque tibi in eo multas, magnasque victorias peperisti? Desine victoriarum! Si primi te Consulatus vere poenitet, quod per aetatem minime legitimam non partus, sed extortus sit; quid mensem hunc facinoris huius nota insignem, insigniorem nomine tuo mensi indito facis? Dies hic, qui et supremus idem fuit vitae Octavii, dicitur a Tacito (a) *accepti quondam imperii princeps*. Nec vero putem, *imperii* vocem a Tacito sic usurpatam, qua significatione, imperium Consulatui adnexum intelligimus; sed latius longe, et in regiae prorsus potestatis omen certissimum.

Quid interim pro anniversaria diei huius celebratione sibi Cumani imposuerint, *supplicationem*, an *immolationem*, an utrumque simul, marmoris fractura ignorare cogit. Sed in tironum gratiam, haec pro utraque in memoriam revo-

(a) Annal. Lib. 1.

casse, non abs re fuerit. *Supplicatione* (quae et *Gratulatio*) *ubi foret a Senatu decreta*, sacris Aedibus omnibus reseratis, Populo frequente, Imperatoris nomine, gratiae Diis pro re feliciter gesta agebantur. *Immolatio* vero sic dicta, quod hostiae stantis capiti *mola* spargebatur ex farre tosto, et sale confecta. *Immolationi* ad ver. 3. additum: *Hostia*, quod nisi temere factum velimus, intelligamus, sacrum peragendum, non mactatione *animalium maiorum*, quae *Victimae* proprie dicebantur, sed *minorum*, quae *hostiae* stricti nominis habebantur.

2. Sexto Pompeio bello navali demum in Sicilia profligato, Lepidianae Legiones ad Octavium transiere. Sed qua die transitus huiusmodi factus, id porro e nullo, quod sciamus, elicere est monumento superstite, quo gravior fit marmoris detrimentum, unde hoc edocti sine dubitatione fuissemus. Sed Fragmenti nostri vestigiis insistentes, si modo ad Kalendarii instar posita sint, pro certo asseverare possumus, id contigisse post diem XIV. Kal. Septembres, et ante diem IX. Kal. Octobris; idest ad finem inclinante mense Sextili, vel omnino mense ipso

Septembre iam procedente. De Lepidi casu haec Suetonius (a): *Post Pompei fugam, Collegam alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium evocaverat, superbientem viginti* (Appianus habet *duarum supra viginti*) *Legionum fiducia, summasque sibi partes terrore, ac minis vindicante, spoliavit exercitu.* Nihil inertius, aut contemptibilius homine isto in toto reciprocationis triumviralis negotio, cuius quo pacto demum transactae res sint cum Octavio, videsis apud Dionem. Facti huius memoria *Supplicatione* a Cumanis concelebrata.

3. De die natali Octavii nulla quaestio. In ea Ludi Augustales Romae fiebant, qui *Circenses* in Kalendario romano dicti (b). Quin et Suetonii aetate adhuc iuxta Velitras colebatur locus *nutrimentorum Octavii*, quo introire, nisi necessario, et casto, religioni habebatur.

Notanda formula: IMMOLATIO CAESARI, tamquam *Deo* nimirum, non *pro Caesare*, veluti homine opis indigo: quod secus factum vides in diebus Drusi, et Tiberii natalibus, pro qui-

(a) In Octav. Cap. XVI.
(b) Gruter. pag. 133.

bus *supplicatio Vestae*, non *Caesaribus* ipsis, decreta. In quo est, quod quaerat quispiam fortasse: Cum duplex Romanis *Vesta* in honore esset, altera *Maior*, cui postremus in sacris locus adsignatus, ut Iano prior; *Minor* altera: de quarum alterutra pro re praesenti cogitandum? de *Minore*, aio, quae Romanorum propria, quaeque Italiam putabatur secum ab Aenea transvecta. Haec in numis *Vesta* P. R; aut *Vesta* P. R. *Quiritium* dicta, quam Marinius eamdem cum *Pale* arbitratur fuisse, romanorum numine tutelari.

4. Claudius Drusus, Liviae Filius, Augusti privignus. Hic cum a Celtis, qui trans Rhenum incolunt, regredi, prodigio monitus, maturaret, ipso in itinere morbo extinctus est (a). Alius a Druso, Tiberii ex Agrippina Filio. De Claudii huius Mense natali, cum Tabula nostra in Kalendarii formam procedat, valida coniectura est pro Mense Octobri, quandoquidem dies Caesaris natalis proxime antecedens refertur ad IX. Kalend. Octobris, sine cunctatione ulla, qui Septembris dies tertius supra vicesimum.

(a) Xiphil Lib. LV.

5. Ad mensem eumdem, vel pone sequentem Novembrem, retulerim diem, qua primum Octavius, citra legitimum aetatem, togam sumpsit virilem, an. videlicet ab V. C. 706. Coss. Iulio Caesare iterum, et P. Servilio Vatia Isaurico. Qua occasione, Octavius militaribus donis, triumpho Caesaris ex Africano, donatus est. Nec praetereundum, quod ex Dione Xiphilinus memorat (a): *Cum sumeret virilem togam, ea ab humeris utrimque fracta usque ad pedes demissa est*, quod Octavius praecoci ingenii dexteritate in bonum omen trahere conatus est. In tantae itaque rei memoriam Cumani *supplicationem*, idque opportunissime, *Speeci Iuventutis* decrevere. De veteri vocis *Speeci* τῇ ὀρθογραφίᾳ, consule, si tanti videtur, *Parnassum* nostrum *Lapidarium*.

6. Nullo versus hic eget interprete, Oedipo multo minus.

7. 8. 9. *Dedicatasto*. Ἀρχαϊκῶς pro *dedicata est*. Caeterum versiculorum horum omnium *relictum*, arbitrio mero, nulla lege sive Dictatoria, sive Imperatoria, sive IIIviriali, *da-*

(a) Lib. XLV

tum, divisum, adsignatum esto. Supplementa intellige, quae ne coniecturae merae fines praetergrediantur, sancte praecipimus. Sed tamen, ut ut minus prospere processerint, caveas hac de causa, sine cogenta ratione, veluti improbabilia, ac penitus arbitraria, taxare. Nihil quippe in iis a fide historica absonum. Profecto dies VI. Idus Martias, Senatus decreto, *servata*, idest *sacris* addita, *quia hac die Ti. Caesar Pontifex Maximus felicissime creatus est* (a). Cur non idem Cumani fecerint pro Octavio?

10. E Praenestini Kalendarii fragmento haec apud Gruterum (b):

NON. N. CONCORDIAE
IN. ARCE. FERIAE. EX
S. C. QVOD. EO. DIE
IMPERATOR. CAESAR
AVGVSTVS. PONTIFEX
MAXIMVS. TRIB. POTEST
XXI. COS. XIII. A. SENATV
POPVLOQVE. ROMANO. PATER
PATRIAE. APPELLATVS

(a) Vid. Grut. pag. 228. n. 8.

(b) Pag. 136. n. 2.

Octavius igitur *Patris Patriae* nomine decoratus est anno ab V. C. 752 die Nov. septima. Et nisi intercederet Kalendarii Cumani institutus ordo menstruus, minime chronologicus, nihil pronius, quam e Praenestino hoc fonte versiculi huius lacunam implere. Verum enim vero ad ver. 6. in medium prodiere Kalendae Decembres pro die natali Tiberii Caesaris; cum ex adverso in Praenestino Fragmento ciatur dies Novembris septima, quam si hoc loco inserere, animus esset, Kalendarii Cumani sine dubio ordo semel constitutus turpiter interverteretur. Idcirco, his reiectis auxiliis, aliud supplendi initum consilium. Sed *qua* interrogabis, de causa voci SVPPLICATIO additum supplementi gratia τῷ *Augusto*? Praesto responsio est. Eadem illa, qua dictum in lin. 3, IMMOLATIO. CAESARI. Quod confirmationem videtur accipere ex hoc, quod sequitur:

11. SVPPLICATIO. IMPE... *Supplicatio* nempe *Imperatori*, non *imperata*, quod posterius in mentem prius inauspicato venerat. Atque hic palum figo, quem suscepti laboris minime poeniteat pro novo hoc pretii quantivis κειμήλιῳ pro viribus exornando. Nec tantum mihi

nulla a viris eruditis in hoc venia postulanda, sed gratiae fortasse aliquid mihi ab iisdem ineundum videtur, quod eorum, quae desunt, etsi desiderium non omnino expleverim, magna nihilominus ex parte aut imminuerim, aut imminuere sim conatus.

Inter scribendum afferuntur tituli duo, de genere *sacrorum*, Coloniae inventi, et ad nos, more suo, transmissi a Viro clarissimo, amicissimoque Kellermanno. Idque non temere contigisse existimandum; sed eo consilio, ut a quo Commentarii huius prima velati designata vestigia sunt, eidem finis gloria accepta referatur. Unius exemplar tale est:

I.

MATRONIS
AFLIABVS
M. MARIVS
MARCELVS
PRO. SE. ET. SVIS
EX. IMPERIO. IPSARVM

Lineam secundam, opinor, in menda cubare, et pro *Afliabus*, restituendum *Aeliabus*; *Matronis* videlicet, seu *Deabus*, gentis *Aeliae*, romanae utique originis. *Deos* namque, *Deas-*

que a cultoribus suis fuisse haud raro cognominatos, plusquam tralatitium est. Sed titulus praeferre videtur, non *Deas matronarum Aeliarum*, sed *Aelias* ipsas divinis honoribus auctas. Opportune Reinesius (a): Notum de Germanis, Gallis, et Britannis, *quod mulieribus sancti, providique aliquid inesse putaverint*. Quid igitur mirum, si Germanicis hisce feminis divini fuerint attributi honores, votorumque nuncupationes factae? Apud Gruter. (b) plura legere est *Matronis sacra*. *Matronas* autem in his stare suspicor pro *Deabus*. Alter sic habet:

2.

MATRONIS
AXINGINEHIS
M. CATVLLINVS
V. S. L. M

De quo idem omnino esto iudicium. *Gentem* tamen *Axinginehiam* (si modo *gentis* nomen id sit) romanae originis nullatenus dixerim.

Hic terminus esto, Marchio excellentissime, alterius huius liberae, immo tumultuariae pror-

(a) Pag. 213. n. 222.
(b) Pag. 1074 n. 2. 3. 4 5. et pag. 1016. n. 5. 6. 7 8.

sus, navigationis; qua, ut vides, per diversas, occasionum arbitrio, oras erratum, inaccessas fere plerasque, nec sine periculo, utinam iacturae omnis, naufragiique tutis! Reliquum nunc est, ut quietis amore, velis demissis portum tantisper subeamus. Quid istuc *tantisper*, inquis? Quem mihi *portum* narras? *Tantisper*, aio, cui in votis esset, importuosa aestuaria huiusmodi, nullis Sirenum illiciis, amplius retentare. Sed nautarum perinde, ac amantium, vota nosti. *Portum* autem intelligo consuetudinem nostram antiquam, quam nulla deleat dies, si Deus votis annuat rite nuncupatis. Vale iterum Tibi, tuis, amicisque, quorum idem unus es omnium instar.



ERR.	COR.
Pag 58. v. 18. *gravior*	*gravius.*